



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Magistris. Consilium DLXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

resolutionem, residui temporis, quod exacto anno, in quo Professor moritur, deest, stipendium seu salarium ad hæredes pro solatio transmitti, ejusque petendi iis jus esse.

Quod ad alteram quæstionem attinet, quæ de facto, non de jure est, de consuetudine videlicet & usu Professionum & Professorum in Universitate Lovanienfi proposita quoad salarium futuri temporis; hoc est pro residua parte anni, in quâ Professor moritur, anno non exacto; rem aliter se habere nos infra scripti in dicta Universitate Iuris Professores attestantur. Vñ nimirum & consuetudine receptum esse, ut salaria & stipendia Professorum morte cuiusque abruptantur; & finem professionis facere finem stipendij seu salarii; nec quicquam pro futuro tempore seu residuo ejus anni, in quo inchoat Professione Professor moritur ad hæredes transmitti; & secundum eam sic obtinentem consuetudinem (uti etiam ex juris ratione id ante omnia inspiciendum, *la son in d. l. Diem functo nu. 16.*) sine difficultate novo Professori, qui defuncto succeditur, ex die, quod ad Professionem assumitur, consueta stipendia cedere incipiunt: eâ forte ratione, quod hujusmodi stipendia ad instar præbendarum sint, quorum fructus cuicumque præbendato cedunt dumtaxat pro tempore, quo præbendatus est, & in beneficio residet; ut hac in re eadem comparatione utitur etiam Albericus, in *d. l. Diem functo*.

De Magistris.

SUMMARIUM.

Dispensatio quoad studiorum gradum.

1. *Per motum in studijs per gradum ordine fieri debet.*
2. *Studium privilegiatum in destinatis locis exerceri debet.*
3. *Honores per gradum capessendi.*
4. 6. 9. *Dispensatio in tempore studij ingerendum permittitur.*
5. *Promoveri an quis possit sine examine.*
7. *Studiorum privilegia non omnibus locis competere.*

CONSILIVM DLXXIII.

PER statuta Venerandæ Facultatis Artium in alma Universitate studij generalis oppidi Lovanienfis inter alia dispositum est, quod scholares hujus Facultatis promovendi ad Licentiam, debeant huic studio continuè incubuisse ad minus per tres hyemes, & duas ætates: & in Bulla erectionis dictæ Universitatis per Martinum Quintum Papam potestas petendi Licentiam ac Doctoratum permittitur his, qui cursu studij feliciter consummato id meruerint: & per statuta dictæ Universitatis non admittitur ad ordinem graduatorum, qui alibi promotus est, nisi in illa vel in aliâ tanto tempore studuerit, quanto in hac pro adeptione consimilis gradus de rigore opus est; improbatè planè promotione per saltum. D. Dominicus Reineri Frisius per hæc civilia bella à patriâ, rebellionem & hæresim infectâ profugus, non habens, quo se in famosa & privilegiata aliqua Catholica Universitate in studijs aleret, literis & Philosophiæ operam dedit in civitate Monasteriensis; in qua etsi non sit famosa studiorum privilegiata Universitas, sed dumtaxat literaria particularis schola, non habens jus promotionis. Conf. Wamelf. Tom. II.

vendi ad Licentiam & Doctoratum; & ibidem in studijs maximos progressus faciendo, ad eam scientiam pervenit; ut se audeat & cupiat offerre rigori examinis pro adipiscenda Licentia & Doctoratu in dicta Facultate Artium; eo potissimum fine, ut deinde in Facultate sacræ Theologiæ, in qua jam aliquot annis etiam feliciter Lovanij studuit, ad gradum promoveri possit: in quo ejus conatu impedimentum facit sive statutum sive laudabilis observatio Facultatis Theologiæ, requirens ad promotiones in ea facultate antecedens magisterium in artibus. Quæritur ergo, an pro adeptione Licentiæ & Magisterij in artibus supplicanti dicta Facultas Artium id cedere possit, gratiosè cum eo dispensando super eo, quod neque in hac, neque in aliâ famosa Universitate privilegiatâ per tres hyemes & duas ætates in studio artium continuè non studuerit, si modò per rigorem examinis, ad quod se offert, idoneus in studio artium repertus fuerit?

Hoc indubitatè verum est, quod ut dicta tam Universitatis, quàm Facultatis statuta, quibus potestas petendi promotiones ad gradus, scholaribus per Sedem Apostolicam permittitur; ita quoque juris communis dispositio dicto supplicanti apertè resistant. Nam & jure communi in omnibus promotionibus saltus improbat & prohibetur, *c. 1. de cler. per sal. prom.* nec saltibus quisquam superiorem gradum appetere, nec repentè aut temere ad gradus promotionum proficere debet, *l. Magistri c. de profess. & med. lib. 10.* & si contrâ fecerit beneficio superius gradus irui nequit, *l. Nemo c. de advoc. divers. iudic.* Vt & in honoribus & dignitatibus adipiscendis ordo & tempora à jure præscripta exactè observanda sunt, *l. Ut gratiam l. Honor & generat. rum de muner. & hon. l. 2. c. Vt dignit. ordo serv. lib. 12.* & si quis statuto tempore eruditioni seu studio non insisterit ad consortium gradus admitti non debet, *l. Lubemus, l. Petitiones vers. nec de catero c. de advoc. divers. iudic.* 1. studendi facultate restricta non ad quæcumque loca, castra, aut villas, *c. tua de cler. non resid.* sed ad loca privilegiata, in quibus generalis studij sedes collocata est, *Gloss. in c. cum ex eo in v. literarum de elect. lib. 6. Baldus ad specul. tit. de magistris, Cardinalium Clem. 2. de magistris nu. 14.* Ita quod in proposito dicto D. Dominico nec loci, nec temporis ratio pro adipiscendis gradibus seu promotionibus in facultate artium suffragentur.

Cæterum hæc ex juris exactiore rigidiorque observatione, & ex communi ordine sunt; quæ tamen sic composita seu collocata non sunt, quin adversus illa ex iustâ & probabili causâ interdum indulgeri & dispensari possit; ut in honoribus capessendis immunitas interdum ex causâ infringitur, ut quis, non obstante immunitate jure communi indultâ, ad illos cogi possit, *d. l. Vt gradatum §. quoties d. l. Honor & fin. ita quoque ex causâ volens ad illos admitti possit, si id petat ante tempus à jure statutum, l. Non tantum §. neque enim minores de decurion. Nam & qui per minorem ætatem ad ordinem sacrum nondum idoneus est, ex necessitate aut aliâ iustâ causâ etiâ antè ordinari potest, in *Auth. Quomodo oport. Episcopos. §. quanta vers. Si quidam necessitas. & generaliter restringi possunt sive juris communis,**

Fff 3

live

sive consuetudinis, sive statutorum huiusmodi observationes. † Et in proposito quamvis nemo regulariter repente ad promotionum in studijs gradus proflire debeat ante statuta cuiusque studij tempora, d. l. *Magistros*: temporis tamen gratia illi fieri & potest & debet, qui ingenij magnitudine & felicitate, atque anticipatæ eruditionis prerogativâ gaudet; cum quod vel ætati vel tempori deest, suppletur ingenij & eruditionis redundantia, *Alex. in addit. ad Bart. in l. 1. C. De dignit. lib. 12. nu. 17. Petr. Levanderius in tract. de Doctorib. q. 6. p. 1. ut non tam forma, seu modus, quàm effectus rei in consideratione habeatur, Bald. in l. Si uater C. De instit. & subst.*

5 Unde etiam est, quod quamvis nemo sine rigore examinis ad gradus studiorum promoveri debeat, *Bart. in d. l. Magistros & in l. 1. C. De Athletis lib. 10. promoveri tamen sine eo possit, qui notoriè doctus seu peritus est, Panor. in c. Constitutus 2. nu. 4. De appellat. & fiducia ingenij in publicum prodire audet, l. 2. §. fin. de orig. iuris; quasi longiora promotionum tempora vulgaribus & tardis ingenijs, non etiam felicioribus, & quodammodò præcocius sint præscripta; ut mirum non sit, si temporis longinquitas ex hac causa præcindi & relaxari possit saltem per dispensationem. Quippe cum sit non vulgariter qualificata persona, cessat juris præsumptio, ob quam longioris temporis studium requiritur; quæ in eo consistit, quod breviori tempore ad gradus promotionum idoneus non præsumatur, *Cardinal. in d. Clem. 2. nu. 14. ** Ut mirum non sit, quod hanc dispensationis in tempore potestatem Ioannes Andræ in magisterijs & studiorum gradibus permittat, in *addit. ad Specul. tit. De magistris ad verb. cum decursis*: prout & in alijs plerisque, quæ rigidijs magisterijs, & doctoratibus ex iure præscripta sunt, ex causa relaxari & remitti possunt, *Clem. 1. vers. ipsosque nihilominus, De magistr. Et ut in tempore hæc dispensatio ex iusta causa admittitur; ita quoque quoad loci necessitatem admittenda esse videtur: cum à tempore ad locum probabiliter admodum ducatur argumentum, l. 2. vers. nec eos De in ius vocan. Nicol. Everardi Præses in loco à tempore ad locum.**

7 Verum quidem est, privilegia eadem omnia non competere perinde studentibus extra privilegiata loca per Sedem Apostolicam aut Principem ad studia generalia deputata; alibi tamen quàm in illis studia exerceri posse nulla vel lex vel Canonica constitutio prohibet; sed etiam extra illa alicubi esse patitur, si modò competens sit, d. c. *Tue*. Ad studium juris ex Iustiniani constitutione utraque Roma & Beritensium metropolis tantum destinata sunt, in 1. *constitut. ad D. §. hac autem tria*: sed usus infrequentis temporis restrictiorem illam potestatem rescidit, jam constitutis sine numero pluribus locis, ubi illud exerceri potest; & ita quidem, ut nulli non sit prorsus potestas etiam extra illa studendi vel legendi, sed dumtaxat non promovendi ad solitos & consuetos gradus, *Panor. in d. c. Tue nu. 3. †* Ex quo est, quod Cardinalis Zabarella hanc necessitatem studij in loco privilegiato generalis studij restringat, in d. *Clement. 2. nu. 14.* ad vulgares studiosos; cum exceptione, ut non obtineat, si persona legentis vel audientis in par-

ticulari loco aliud mereatur, aut ex illius persona aliud iudicandum sit; ita ut ad effectum potius, quàm ad rei formam respiciatur; præsertim si in loco particulari sit studium, & studiorum exercitium competens, d. c. *Tue in verb. in quibus nullum est vel minus competens exercitium studiorum*; ut in illa celebri & famosâ particulari scholâ Monasteriensis.

In concursu itaque harum circumstantiarum, concurrente sufficiente & exuberante eruditione dicti D. Dominici, ex quâ offert se examini; iusta est & sufficiens causa, ob quam ad promotionum gradus in Facultate artium Admitti possit, etiam si neque tempus, neque locus studij ei hac in re suffragentur. Et potissimum habito respectu ad finem, ob quem ad hos gradus aspirat; ut eos consequutus ad ulteriores in Theologicâ Facultate, in quâ jam feliciter atque annis in hac Univeritate Lovaniensi operam dedit, ascendere & admitti possit; in magna huius temporis promotionum in artibus, & promovendorum in Theologia paucitate & raritate: ob quâ etiam alijs cessantibus in gradibus dignitatû & communicatione honorû in rigore & regulis juris facile recedi permittitur, *Eos l. de decurion. Et quod ad formam temporis attinet, non tam ex iure, quàm ex statutis dictæ Facultatis id est; quorum statutorum auctor, ut est ipsa Facultas & Facultatis concilium ac capita; ita quoque in illius potestate est illa relaxare, & ab ijs recedere; non tantum ex necessariâ, sed etiam ex probabilî, & in speciem iusta causa, l. si puella De sponsalib. & ibi Baldus. Eius enim est dissolvere, cuius est ligare, etiam si huiusmodi statutum esset confirmatum à Papa, c. Cum accessissent de constitut. Ioan. And. in c. Cui licet de reg. iuris lib. 6. Phil. Francus in c. Constitutus in glos. v. omnium De appellat.*

De hæreticis.

SUMMARY M.

Criminalis de hæresi ex libris & concionibus frequentatis.

1. 3. 5. 7. Hæretici an sint, apud quos libri hæretici inveniuntur.
2. Confessionem suam reus interpretari potest.
4. Delicti præsumptionem avertit accusati bona vita & qualitas.
6. Factum an præsumatur ex deprehensa rei detentione.
8. Publicus usus, & observatio excusat.
9. Mulier in plurimu succurritur.
10. Hæreticus an sit, qui hæreticorum conciones frequentat.

CONSILIVM DLXXV.

SI adrigorem verborum, quibus mandata seu ordinationes Casareæ Majestatis, per Regiam Catholicam Majestatem confirmata, adversus hæreticos concepta sunt, respectus habeatur, primâ fronte videtur non sine periculo esse causa criminalis, quam Officium Fiscoale adversus Iacobum M. & Magdalenam F. Reos captivos instituit: ob id, quod Iacobus confessus sit librum Psalmorum per Clementem Marci, & Theodorum Beza hæreticos conscriptum, suum esse, seu ad se pertinere; & quod